



Prot. N. 02399/2023-792/23/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Domino Aldone Berardi, O.S.S.T., Vicario Apostolico Arabiae Septentrionalis, occasione sollemni in honorem Sancti Arethae et Sociorum, martyrum celebrationum quae, a die XXIV Octobris MMXXIII ad diem XXIV Octobris MMXXIV peragentur, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Cathedralem Nostrae Dominae Arabiae ecclesiam et paroecialem Sancti Arethae ecclesiam in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilantibus ritibus peculiaribusque circumstantiis, ut in supplicibus litteris iam porrectis devote interfuerint, vel saltem coram Sancti Arethae exuviis per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis, Sancti Arethae et Sociorum.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si coram aliqua imagine iubilantibus celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut vicariatus paenitentiaris, cathedralis clerus et sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die XXIX mensis Augusti, anno Dominicae Incarnationis MMXXIII.

Maurus Card. Diawge

*Christophorus Nykiel
Sapeus*